



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Jus Canonicvm R.P. Pavli Laymanni, Soc: Jesu Theologi, Et
Olim In Alma Et Episcopali Academia Dilingana SS.
Canonum Ordinarii Professoris**

Laymann, Paul

Dilingæ, 1666

Capitvlvm Vn. eod. Tit. in 6. Permittimus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62559](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62559)

Permittimus.

PARAPHRASIS.

Bonifacius VIII. permittit Episcopis, ut cum ijs, qui vicesimum aetatis annu complegerunt, dispensare possint ad consequendas dignitates & personatus, si curam animarum annexam non habeant.

SVMARIYM.

1. Episcopus non potest dispensare super aetate requisita in ordinandis, vel praeficiendis secundum vniuersales Ecclesiae canones.
2. Ad dignitatem ecclesiasticam cum cura animarum nemo promouendus ante 25. annum: ad non curarum cum dispensatione Episcopi promoueri aliquis potest post 20. annum completum.
3. Hodie secundum Trident. ad eiusmodi dignitatem & personatum requiritur aetas exacta 22. annorum.

NOTANDVM Vn. Episcopus non potest dispensare super aetate secundum vniuersales Ecclesiae canones requisita in ordinandis, vel praeficiendis. Ita notat hic Gl. Ioan. Andr. & alij. Id vero colligitur ex verbo permittimus, id est, concedimus & indulgemus; quod alioquin absque speciali hac concessione Episcopis illicitum esset: Er enim secundum iura, etiam ciuilia, ad digni-

tatem nemo promoueri debet ante xxv. aetatis annum, saltem coeptu. l. Ad Rempubl. 4. ff. de muneribus. Cum autem in Concilio generali sub Alexan. III. e. cum in curatis, 7. de elect. expressè prohibitum fuerit, ne quisquam ad dignitatem ecclesiasticam cum cura animarum promoueat ante dictam aetatem annorum xxv. ideo eo canone in suo vigore permanente circa alias dignitates non curatas Bonifac. VIII. permittit Episcopis, ut post 20. annum completum dispensare possint.

Quare non placet, quod tradit Hostiens. in summa huius tit. n. 1. Archidiaconus, & Dominicus de Geminiano super hoc c. Episcopum in aetate dispensare posse etiam circa dignitates curatas, si rationabilis causa, seu Ecclesiae utilitas postulet. Nam si haec doctrina vera esset, tum absolute dicendum foret, quod Episcopus contra canones vniuersales dispensare possit: quandoquidem omnis dispensatio causam rationabilem postulat.

Hodie vero secundum Trident. constit. Sess. 24. cap. 12. de reformat. Ad eiusmodi dignitates ac personatus requiritur aetas exacta 22. annorum. Arque haec ipsa aetas sufficere debet, tametsi dignitas, quae per se curata non est, y. g. Decanatus, vnitam habeat parochialem seu curatam Ecclesiam. Attenditur enim ad naturam beneficii principalis, non vnit & accessorij; quippe quod naturam & conditiones suas veluti amississe censetur, cum alteri principaliori beneficio annexum fuit, ut dixi lib. 4. tr. 2. c. 9. num. 2.

TITVLVS XV.
DE SACRA VNCTIONE.



Vm in Episcoporum consecratione sacra unctio adhibeatur, ideo hoc loco responsum Innoc. III. de varijs sacris unctionibus proponitur.

CAPITVLVM VNICVM.

Cum venisset.

Episcopus quidam Graecus consecratus fuit, non adhibita chrisimatis unctione.
Xxx quæ